

Analecta Platonica.

In Platonis dialogo, cui Gorgias inscribitur, emendando quamvis doctissimi et sagacissimi viri versati sint, tamen hodieque non unum locum superesse censeo, qui adeo non genuinam philosophi neque orationem nec sententiam praebere videatur, ut intentiorem operam studiumque eorum, qui artis criticae haud imperiti sint, requirat. Inter quos etsi non ita a natura generatus esse mihi videor, ut illustriorem quendam locum teneam, nihilominus nonnullos e Gorgia locos desumpsi non indignos, in quibus, quid conjectando assequi possem, experirer.

In Gorg. p. 469 c. d. edd. et librorum mss. vel maxima pars hanc exhibent lectionem: Ὁ μακάριε, ἐμοῦ δὲ λέγοντος τοῦ λόγου ἐπιλαβοῦ. Quae verba quamvis libris optimae notae commendata, tam obscure sunt dicta, ut quomodo interpretanda sint, virorum doctorum summopere fluctuent sententiae. Itaque non desunt, qui τὸν λόγον, ut Astius, vel τῶν λόγων, ut Budaeus, scribere vel in emendatione cod. Parisini τοῦ λόγον acquiescere malint. Quam quidem emendationem per se nihil praebere existimo, unde lux tenebris affundatur, nisi quis inter λέγοντος ac τοῦ λόγον voculam ἐκτός excidisse putaverit. Totam enim locutionem tanto plus irrisionis prae se ferre censeo, quanto magis Polus ipse, ne severioris argumentationis vinculis astringeretur, ad exempla quaedam deflexerat. Id ipsum videlicet Socrates non acrius castigare poterat, quam dicendo: corrippe me, si quid dixerō, quod ad rem propositam non pertineat vel a re proposita abhorreat. Accuratius enim comparantibus nobis quanta similitudo inter hunc locum et posteriorem 506 b. ἐπειδὴ δὲ σύ, ὦ Καλλίπλειε, οὐκ ἐθέλεις συνδιαπερᾶναι τὸν λόγον, ἀλλ' οὖν ἐμοῦ γε ἀκούων ἐπιλαμβάνου, ἐάν τί σοι δοκῶ μὴ καλῶς λέγειν intercedat, facile apparebit. Ceterum de simili ἐκτός praepositionis usu conferantur loci 474 d. ἔχεις τι ἐκτός τούτων λέγειν περὶ σώματος κάλλους; ib. e. καὶ μὴν τὰ γε κατὰ τοὺς νόμους καὶ τὰ ἐπιτηδεύματα οὐ δήπου ἐκτός τούτων ἐστὶ [τὰ] κατὰ [ἢ ὠφέλιμα εἶναι ἢ ἡδέα ἢ ἀμφοτέρω] ubi verba, quae uncis inclusi, delenda censeo, utpote non minus superflua quam a Graeca constructione aliena, Legg. I, 638 b. νίκας ἐκτός λόγον τὰ νῦν θῶμεν, IX, 854 d. ἐκτός τῶν ὄρων τῆς χώρας ἐκβληθήτω, alii.

473 c. ἐὰν ἀδικῶν ἄνθρωπος ληφθῆ τετρανίδι ἐπιβουλεύων καὶ ληφθεὶς στρεβλῶται καὶ ἐκτέμνηται καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς ἐκκάηται, καὶ ἄλλας πολλὰς καὶ μεγάλας καὶ παντοδαπὰς λύβας αὐτὸς τε λωβηθεὶς καὶ τοὺς αὐτοῦ ἐπιδῶν παιδὰς τε καὶ γυναῖκα τὸ ἔσχατον ἀνασιανρωθῆ ἢ καταπιτωθῆ, οὗτος εὐδαιμονέστερος ἔσται, ἢ ἐὰν κ. τ. λ. Marsilius Ficinus cum locum in hunc modum vertit: videat praeterea liberos et uxorem pati eadem et tandem in crucem agatur aut pice adhibita comburatur: an haec qui patietur, felix erit? videtur indicasse ad concinnitatem orationis aliquid desiderari. Quod unde sumatur, si quis Ficinum secutus τὸ ἔσχατον

ad subsequētia verba retulerit, quoniam difficile est intellectu, non procul a veritate aberrare mihi videor, cum inter τὸ ἔσχατον et ἀναστιαρωθῆ participium παθόντας excidisse suspicor, quo quidem addito nulla relinquitur dubitatio, quin infelix ille ante ipsius mortem liberos uxoremque ipsos quoque quidvis patientes conspexisse dicatur.

475 c. Herwerden in lectt. Rheno-Trajectinis p. 55 non posse fieri censet, quin argumentatione Platonis paulo attentius observata concedatur verba οὐκοῦν κακῶ ὑπερβάλλον τὸ ἀδικεῖν κάκιον ἂν εἴη τοῦ ἀδικεῖσθαι corrupta et emendandum esse αἰσχίον. At sagacissimum criticum siquidem minore negligentia rem tractasset, quam non conjectura h. l. opus sit, intellecturum fuisse existimo. Quoniam enim Polus, si quid turpius alio quopiam esse censeretur, turpius iudicari vel propter majorem dolorem vel propter majus damnum concesserat, quid, siquidem minus doloris habet illata quam accepta injuria, relinquitur aliud, quam ut illata injuria damno superet acceptam ideoque pejor habenda sit? Nec priusquam hoc sibi concessum esset, Socrates ad turpitudinis notionem sibi redeundum censebat verbis lit. d. Ἄλλο τι οὐκ ἔτι μὲν τῶν πολλῶν ἀνθρώπων καὶ ὑπὸ σοῦ ὁμολογεῖτο ἡμῖν ἐν τῷ ἔμπροσθεν [χρόνῳ] αἰσχίον εἶναι τὸ ἀδικεῖν τοῦ ἀδικεῖσθαι; Idem vir doctus indignatus, quod in sequentibus verbis Δέξαιτο ἂν οὐκ ἐν μᾶλλον τὸ κάκιον καὶ τὸ αἰσχίον ἀντὶ τοῦ ἥτιον; optimi codicis lectio, αἰσχρόν, spreta sit, aperte hanc correctionem postulare contextum arbitratur: Δέξαιτο ἂν οὐκ ἐν μᾶλλον κακὸν καὶ αἰσχρόν ἀντὶ τοῦ ἥτιον; Ni feceris, inquit, perversa est oppositio vocabulorum μᾶλλον et ἥτιον et justo obscurius post ἥτιον omissa sunt verba κακὸν καὶ τοῦ ἥτιον αἰσχρόν. Ceterum fatetur eandem emendationem jam antea ab Hirschigio proditam sero se comperisse. Atqui verisimilius est, αἰσχίον in αἰσχρόν mutari potuisse librarii cujusdam socordia quam graviorem corruptionem esse commissam neque magni momenti esse illam, quam resipit locus, abundantiam, constructionem dico δέχεσθαι μᾶλλον ἀντί, praesertim cum etiam μᾶλλον προαιρεῖσθαι non semel apud pedestris orationis scriptores inveniatur. Quapropter lectionem plurimorum codd. servandam censeo ita nimirum ut post verba ἀντὶ τοῦ ἥτιον suppleatur κακοῦ καὶ [τοῦ ἥτιον] αἰσχροῦ, id quod per se tota sententia requirit. Si enim suppleremus κακὸν καὶ τοῦ ἥτιον αἰσχρόν, non modo obscure, sed etiam perverse esset dictum.

482 e. ὡς τὰ πολλὰ δὲ ταῦτα ἐναντία ἀλλήλοις ἐστίν, ἢ τε φύσις καὶ ὁ νόμος. Quam libri mss. exhibent particulam δέ, utpote rationi logicae repugnantem, exterminandam in ejusque locum γέ part. restrictivam substituendam existimo.

485 e. καὶ γὰρ ἐμοὶ τοιαῦτ' αἴτια ἐπέρχεται πρὸς σέ λέγειν, οἷάπερ ἐκεῖνος πρὸς τὸν ἀδελφόν, ὅτι ἀμελεῖς, ὡς Σώκρατες, ὧν δεῖ σε ἐπιμελεῖσθαι, καὶ φύσιν ψυχῆς ὥδε γενναίαν μειρακίῳδον τινὶ διαπρέπει μορφώματι. Verbum διαπρέπειν quamvis non ab Euripidis abhorreat dicendi genere, tamen nusquam transitiva significatione usurpatur. Quod si quis verbum circumspexerit ad sententiam accommodatum et ad ductum literarum prope accedens, haud scio an διαφθεῖρες mecum probaturus sit. Nempe tale aliquid Callicles in illustrissimo quodam Euripidis loco recitando dicturus erat: Profecto ea, Socrates, negligis ac posthabes, quae curae tibi sint oportet atque adeo generosam mentis indolem puerili quadam specie depravas. Ad depravandi vel deformandi significationem confirmandam non indignus est mentione locus e Phaed. 117 b. desumptus: οὐδὲ διαφθεῖρας οὔτε τοῦ χρώματος οὔτε τοῦ προσώπου, ἀλλ' ὥσπερ εἰώθει ταυρηδὸν ὑποβλέψας πρὸς τὸν ἀνθρώπον κ. τ. λ.

498 c. ἀρ' οὐκ ἔτι παραπλησίως εἰσὶν ἀγαθοὶ καὶ κακοὶ οἱ ἀγαθοὶ τε καὶ οἱ κακοί; ἢ καὶ ἔτι μᾶλλον ἀγαθοὶ οἱ ἀγαθοὶ καὶ κακοὶ εἰσὶν οἱ κακοί; Etsi M. Schanzius suo jure verba ἀγαθοὶ οἱ ἀγαθοὶ καὶ κακοὶ εἰσὶν uncis circumclusit, equidem non tot quot vir doctissimus verba eicienda, sed loci subsequēntis 499 b. οἷα οὐκ ὁμοίως . . . usque ad ἢ καὶ μᾶλλον ἀγαθὸς ὁ

κακός ratione non posthabita scribendum puto ἢ καὶ ἔτι μᾶλλον ἀγαθοὶ οἱ κακοί; Ceterum quam recte C. Fr. Hermannus ad verba quae 498 b. leguntur (ἀμφοτέρω ἐμοίγε μᾶλλον) suppleverit δ' ἴσως οἱ δειλοὶ cum ex totius argumentationis decursu tum insequenti disputationis parte [Κ. Ἀμφοτέρω Σ. Ἄρα ὁμοίως; Κ. Μᾶλλον ἴσως οἱ δειλοί.] confirmatur.

500 c. ὁρᾷς γάρ, ὅτι περὶ τοῦτον ἡμῖν εἰσὶν οἱ λόγοι, οὗ τί ἂν μᾶλλον σπουδάσειέ τις καὶ σμικρὸν νοῦν ἔχων ἄνθρωπος, ἢ τοῦτο, ὄντινα χρῆ τὸν τρόπον ζῆν, πότερον ἐπὶ ὃν σὺ παρακαλεῖς ἐμέ, τὰ τοῦ ἀνδρὸς δὴ ταῦτα πράττοντα, λέγοντά τε ἐν τῷ δήμῳ καὶ ῥητορικὴν ἀσκοῦντα καὶ πολιτευόμενον τοῦτον τὸν τρόπον, ὃν ὑμεῖς νῦν πολιτεύεσθε, ἢ ἐπὶ τόνδε τὸν βίον τὸν ἐν φιλοσοφίᾳ, καὶ τί ποτ' ἐστὶν οὗτος ἐκείνου διαφέρων. Tota sententia incredibile est dictu, quantopere οὗ genetivo turbata sit, quem nescio quo casu irrepsisse suspicor. Nam Cronii opinio οὗ a μᾶλλον ita pendere, ut insequentia verba ἢ τοῦτο epexegetis quam vocant, locum teneant putantis, ingeniosior videtur esse, quam verior. Qua quidem vocula ejecta et posteriore ἐπὶ omissa in toto ambitu orationis nihil omnino, quod offendat, relinquitur. Haec scilicet sententia erat exprimenda: Intelligis enim, colloquio nostro nihil aliud indagari nisi quid enixius agendum sit, quam quaerere, utrum vitae genus expetendum sit, istud, ad quod tu quidem invitas genus viri concionantis, rhetoricam exercentis et ista ratione in re publica gubernanda versantis, quam vos ipsi observatis, an hanc vitam philosophiae studiis deditam, et quid discriminis inter hoc et istud vivendi genus intercedat. Alterum ἐπὶ, quod e critica demum Schanzii editione jam antea a Findeiseno deletum fuisse comperi, nimirum librarii cujusdam negligentiae tribuendum est, quae-nam constructio periodi esset nescientis et priore ἐπὶ decepti.

501 a. ἢ δ' ἑτέρα τῆς ἡδονῆς, πρὸς ἣν ἡ θεραπεία αὐτῆ ἐστὶν ἅπασα, κομιδῇ ἀτέχνως ἐπ' αὐτὴν ἔρχεται οὔτε τι τὴν φύσιν σκεψαμένη τῆς ἡδονῆς οὔτε τὴν αἰτίαν, ἀλόγως τε παντά-πασιν ὡς ἔπος εἰπεῖν οὐδὲν διαριθμησάμη, τριβῆ καὶ ἐμπειρία μόνον σωζομένη τοῦ εἰω-θότος γίνεσθαι, ᾧ δὴ καὶ πορίζεται τὰς ἡδονάς. Reputanti mihi, quomodo importunum molestumque anacoluthon, quo locus laborat, e medio tolli possit, genetivum τῆς ἡδονῆς primo loco servare, secundo loco cancellis includere optimum esse visum est. Praeterea non dubito, quin verborum ordo ita mutandus sit, ut verba κομιδῇ ἀτέχνως ἐπ' αὐτὴν ἔρχεται post τὴν αἰτίαν transponantur eoque modo quam proxime ad subsequens ἀλόγως accedant. Neque quemquam fore arbitror, quin nisi hunc in modum philosophi sententiam non perspicue et eleganter exprimi concedat: ἢ δ' ἑτέρα τῆς ἡδονῆς, πρὸς ἣν ἡ θεραπεία αὐτῆ ἐστὶν ἅπασα, οὔτε τι τὴν φύσιν σκεψαμένη οὔτε τὴν αἰτίαν, κομιδῇ ἀτέχνως ἐπ' αὐτὴν ἔρχεται ἀλόγως τε παντάπασιν κ. τ. λ. Quae quidem mutatio quam necessaria sit, quo accuratius intelligatur, totam Platonis argumentationem, quatenus ad hunc locum illustrandum repetenda est, paucis recollere nequaquam superfluum esse censeo. Ut igitur in totius dialogi decursu identidem in comparisonem vocantur artes, quae ad corporis curam cultumque pertinent, cum iis, quae ad animum referendae sunt, non posthabito sane discrimine, quod inter veras genuinasque atque imitatrices falsasque intercedit, ita h. l. cum discrimen tum comparatio artis medicae cum arte coquinaria recurrit. Quocirca nihil est, quod miremur, artem medicam, quippe quae nihil nisi salutem sanitatemque corporis respiciat, ab arte coquinaria, ut ab arte nil nisi voluptatem ac delectationem spectante, eo magis differre, quod ars coquinaria adeo non ab accurata naturae corporis remediumque cognitione proficiscitur, ut peritia tantummodo usu quodam et exercitatione comparata nitatur et omnia ad voluptatem sensusque titillandos referat. Quibus perspectis quis est quin verba ἢ δ' ἑτέρα superioribus ἢ μὲν [sc. ἱατρικῆ], deinde verba πρὸς ἣν θεραπεία αὐτῆ ἐστὶν ἅπασα antecedentibus τοῦτον οὗ θεραπείαι, tum disjunctiva sententia οὔτε τι τὴν φύσιν σκεψαμένη οὔτε τὴν αἰτίαν praegressae correlationi καὶ τὴν φύσιν ἔσκεπται καὶ τὴν αἰτίαν ὧν

πράττει, denique verba κομιδῇ ἀτέχνως ἐπ' αὐτὴν ἔρχεται κ. τ. λ. superioribus λόγον ἔχει τούτων ἐκάστον δοῦναι respondere intellegat. Unde fieri non poterat quin argumentatio ad artium litterarumque studia transiret, in quibus existimandis similiter inveniuntur, quae verae utilitatis honestatisque ratione posthabita, ne dicam spreta, ad animi delectationem voluptatemque omnia revocare studeant. Quodsi philosophus, qua erat morum severitate, in eorum numero non modo ἀλληρικὴν et κίθαρωδικὴν, sed etiam ποῆσιν dithyrambicam ac tragicorum artem habuit, quippe quae item minus ad honestatem excolendam, quam ad voluptatem audientium spectantiumque efficiendam comparatae essent, utique in hoc dialogo lineamentis quibusdam ea placita adumbrare satishabuit, quae in dialogis de re publica ac de legibus, majoris maturitatis perfectionisque nota specieque praestantibus, erat expositurus. Praeterea reputanti, quanta subtilitate et perspicuitate philosophus cum in aliis tum in hac argumentationis parte versatus sit, illa, quibus ad finem sententia perducitur, verba ἄλλο ἢ χαρίζεσθαι μόνον εἴτε βέλτιον εἴτε χεῖρον tam jejuna mihi tamque superflua visa sunt, ut ea exterminari quam servari malim. Quis enim est, quin concedat verba αἱ δὲ τούτων μὲν ὀλιγοροῦσαι usque ad οὔτε σκοπούμεναι οὔτε μέλον αὐταῖς prorsus sufficere ad sententiam optime conformandam, utpote in qua similiter atque in superiore pars positiva non minus quam negativa ita expressa sit, ut verba ἐσκεμμέναι δ' αὐτὴν ἡδονὴν μόνον τῆς ψυχῆς τίνα ἂν αὐτῇ τρόπον γίγνοιτο superioribus ἢ δ' ἑτέρα τῆς ἡδονῆς, πρὸς ἣν ἡ θεραπεία αὐτῆς ἐστὶν ἅπασα, quae autem subsequuntur verba ἧτις δὲ ἢ βελτίων ἢ χεῖρων τῶν ἡδονῶν οὔτε σκοπούμεναι οὔτε μέλον αὐταῖς superioribus inde a κομιδῇ ἀτέχνως ἐπ' αὐτὴν ἔρχεται usque ad οὔτε τι τὴν φύσιν σκεψαμένη οὔτε τὴν αἰτίαν respondeant. Quare insipidum illud additamentum haud scio an a manu hariolantis cujusdam et Platonicæ subtilitatis admodum rudis librarii profectum sit.

502 b. τί δὲ δὴ ἡ σεμνὴ αὐτῆ καὶ θανμασιή, ἢ τῆς τραγωδίας ποιήσις ἐφ' ᾧ ἐσπούδακε; πότερόν ἐστιν αὐτῆς τὸ ἐπιχείρημα καὶ ἡ σπουδὴ, ὡς σοὶ δοκεῖ, χαρίζεσθαι τοῖς θεαταῖς μόνον, ἢ καὶ διαμάχεσθαι, εἰάν κ. τ. λ. Verba ἐφ' ᾧ ἐσπούδακε eo, quem tenent, loco, adeo ab indole linguae Graecæ aliena sunt et abhorrent, ut primo obtutu extrinsecus in textum Platonicum intrusa videantur. Non inepte igitur Cobetus ac Schanzius fecisse sibi visi sunt, quod ea radicitus exstirpaverunt. At leniorem minusque violentam loco medelam viros doctissimos adhibere potuisse existimo, siquidem ipsa verba, utpote optimorum librorum fide munita, servassent, sed ordinem verborum ita mutassent, ut post ἐπιχείρημα ponerentur. Qua quidem traiectione peracta quis intelliget, quam leniter et perspicue haec decurrat sententia: Τί δὲ δὴ ἡ σεμνὴ αὐτῆ καὶ θανμασιή, ἢ τῆς τραγωδίας ποιήσις; πότερόν ἐστιν αὐτῆς τὸ ἐπιχείρημα, ἐφ' ᾧ ἐσπούδακεν, καὶ ἡ σπουδὴ, ὡς σοὶ δοκεῖ, χαρίζεσθαι, τοῖς θεαταῖς μόνον ἢ καὶ διαμάχεσθαι, εἰάν κ. τ. λ. vel: Quid autem praeclara et admiranda tragoediae ποῆσις, utrum studium, in quod incumbit et exercitatio ad voluptatem tantummodo spectatorum pertinet an si quid quamvis dulce et gratum, tamen malum sit, id cavebit, ne unquam dicat, contra si quid molestum, attamen utile fuerit, id et dicet et canet parum curans, utrum delectentur audientes nec ne?

503 c. In codd. mss. verba sic tradita sunt: Εἰ ἔστι γε, ᾧ Καλλίκλεις, ἦν πρότερον σὺ ἔλεγες ἀρετὴν, ἀληθῆς, τὸ τὰς ἐπιθυμίας ἀπομιμνῆσαι καὶ τὰς αὐτοῦ καὶ τὰς τῶν ἄλλων· εἰ δὲ μὴ τοῦτο, ἀλλ' ὅπερ ἐν τῷ ὑστέρῳ λόγῳ ἠναγκάσθημεν ἡμεῖς ὁμολογεῖν, ὅτι αἱ μὲν τῶν ἐπιθυμιῶν πληρούμεναι βελτίω ποιοῦσι τὸν ἄνθρωπον, ταύτας μὲν ἀποτελεῖν, αἱ δὲ χεῖρω, μὴ τοῦτο δὲ τέχνη τις εἶναι τοιοῦτον ἄνδρα τούτων τινὰ γεγονέναι ἔχεις εἰπεῖν; Post verba καὶ τὰς τῶν ἄλλων ex antecedente Calliclis oratione aliquid supplendum esse, quod apodosis vice fungatur, velut Θεμιστοκλῆς καὶ Κίμων καὶ Μιλτιάδης καὶ Περικλῆς ἀγαθοὶ ἄνδρες γεγονάσιν apparet. Nec minus cognitum habent interpretes ad inf. ἀποτελεῖν, ne desit, unde pendeat, verba ἀρετῆ

ἀληθῆς ἔστιν supplenda esse vel repetenda. Quo facto nulla difficultas nisi verbis *τοῦτο δὲ τέχνη τις εἶναι* obicitur, quoniam plane quonam inf. *εἶναι* referendus sit, ignoramus. Etsi enim in symbolis ad Platonis Gorgiam in Fleckeiseni Annal. (CXXIII p. 563) editis leviolem quandam depravationem ratus irrepsisse *εἶναι* in *εἴη ἂν* mutare non dubitabam, tamen nunc M. Schanzium in critica editione (p. 82) lacunam quandam statuendam existimasse, quae a nullodum doctorum virorum satis apte expleta sit edoctus, in mea opinione non acquiescendum, sed ad Heindorfii sententiam *ἐγάνη (ὁμολόγηται) εἶναι* conicientis proxime accedendum et *τέχνη τις εἶναι ὁμολογεῖται* scribendum suspicor, ita ut sententia sententiae paulo antecedenti (*ἀλλ' ὅπερ ἐν τῷ ὑστέρω λόγῳ ἠναγκάσθημεν ὁμολογεῖν*) non dissimilis sub finem periodi ad majorem, ni fallor, vim efficiendam recurrat. Quibus de causis locum a doctissimis viris totiens tentatum sic vertendum esse censeo: Siquidem, o Callicles, vera virtus, supra abs te memorata in suis aliorumque cupiditatibus explendis posita est (sc. illi in magnorum proborumque virorum numero habendi sunt); at si aliter res se habet ac vera virtus, quemadmodum fieri non poterat quin postea consentiremus, eas tantum cupiditates explendas, quae ad mores hominum emendandos efficaces sint, ceteras vitandas curat et in hac ratione veram consistere artem consentaneum est, num quem e superiorum virorum numero ejusmodi virum fuisse affirmas?

504 e. *τί γάρ ὄφελος, ὃ Καλλικλείης, σώματι γε κάμνοντι καὶ μοχθηρῶς διαχειμένῳ σιτία πολλὰ διδόναι καὶ τὰ ἥδιστα ἢ ποτὰ ἢ ἄλλ' ὀτιοῦν, ὃ μὴ ὀνήσει αὐτὸ ἔσθ' ὅτι πλέον ἢ τοῦναντίον κατὰ γε τὸν δίκαιον λόγον καὶ ἔλαιον; ἔστι ταῦτα;* Etiam in hoc loco cum interpretandum emendando mirum quantopere doctorum virorum opiniones fluctuent. Corruptelam vel mendum in voce *ἔλαιον* quamvis optimae fidei libris tradita, inhaerere vel latere cum alii, tum Vermehren (Plat. Stud. 18) et Wendt (Zeitschr. f. d. Gymnasialw. XXX, 603 sq.) intellexerunt, quorum hic *βλάβει*, ille *βλάβιον* coniecit. At *βλάβιον* sine *ἔστιν* admissum plus valet ad turbandam, quam ad expediendam sententiam, *βλάβει*, quamvis concinnitati inserviat, tamen adeo a litterarum ductu abhorret, ut improbatum quam acceptum malim. Adde quod altero comparativo *ἔλαιον* ejecto vel mutato, quo jure alterum, *πλέον* dico antecedens, tueamur, non habemus. Immo suspicandum est, *ἔλαιον* vocula perverse recepta librarios quosdam facere non potuisse quin *πλέον*, contrariae notionis comparativum item reciperent. Quod si quis probaverit, indidem extrema verba sententiae Platonicae *καὶ βλαβερόν ἔστιν; ἔστι ταῦτα;* ita ut ex interrogatione alterum *ἔστιν*, quod nescio quo casu excidit, suppleatur, fuisse nec leviolem medelam aegrotanti loco adhiberi posse contendam, quam quae hanc sententiam eliciat: Quid enim prodest aegrotanti et male affecto corpori multos eosque jucundissimos cibos vel potiones vel aliud quidvis praeuisse, quod nullam interdum utilitatem aut e contrario secundum justam rationem detrimentum afferat? Ceterum eandem sententiam paulo post etsi mutata oratione refingi neminem fugiet, si verba 505 a. b. in medium prolata respexerit: *οὐκ οὖν καὶ τὰς ἐπιθυμίας ἀποπιπλάνας, . . . ὑγιαίνοντα μὲν ἔδωσαν οἱ ἰατροὶ ὡς τὰ πολλὰ, κάμνοντα δὲ ὡς ἔπος εἰπεῖν οὐδέποτε ἔδωσαν ἐπιπλάσθαι ὃν ἐπιθυμεῖ; (συγχωρεῖς τοῦτό γε καὶ σύ;)* Nec minus animum injustum, intemperantem, impium a cupiditatibus arcendum esse optime subsequentibus verbis docemur: *περὶ δὲ ψυχῆν, ὃ ἄριστε, οὐκ ὁ αὐτὸς τρόπος; ἔως μὲν ἂν πονηρὰ ἢ, ἀνόητός τε οὖσα καὶ ἀκόλαστος καὶ ἄδικος καὶ ἀνόσιος, εἰργεῖν αὐτὴν δεῖ τῶν ἐπιθυμιῶν καὶ μὴ ἐπιτρέπειν ἄλλ' ἅπαντα ποιεῖν ἢ ἀφ' ὧν βελτίων ἔσται.*

509 d. e. *τί δὲ δὴ τοῦ ἀδικεῖν; πότερον ἂν μὴ βούληται ἀδικεῖν, ἱκανὸν τοῦτ' ἔστιν-οὐ γὰρ ἀδικήσει-ἢ καὶ ἐπὶ τοῦτο δεῖ δύναμιν καὶ τέχνην παρασκευάσασθαι, ὡς, ἂν μὴ μάθῃ αὐτὰ καὶ ἀσκήσῃ, ἀδικήσει;* Marsilius Ficinus h. l. elegantius quam accuratius hunc in modum vertit: Quid autem in inferendo? utrum si quis injuriari nolit, satis erit remedii? (neque enim injuriam

inferet) an ad hoc insuper facultas quaedam et ars est comparanda, quam nisi quis didicerit atque exercuerit, injuriam faciet. Cronius autem in editione difficultatem expedire non posse sibi visus est, nisi ὡς particulae causalem notionem tribueret. Quamquam post παρασκευάζεσθαι particulam ὡς (= ὅπως) finalem prae se ferre significationem, cum aliunde tum ex sequentibus verbis καὶ ἐπὶ τοῦτο ἄρα, ὡς εἶκε, παρασκευαστέον ἐστὶ δύναμιν τινα καὶ τέχνην, ὅπως μὴ ἀδικήσωμεν, apparet. Nec minus superiora verba ἢ εἰάν δύναμιν παρασκευάσῃται τοῦ μὴ ἀδικεῖσθαι, οὐκ ἀδικήσεται, quam sequentia τίς οὖν ποι' ἐστὶ τέχνη τῆς παρασκευῆς τοῦ μὴ δὲν ἀδικεῖσθαι ἢ ὡς ὀλίγιστα; finalem requiri constructionem testantur. Quibus perpensis genuinam Platonis lectionem ita restitui posse speramus, ut pristinum verborum ordinem errore librarii cujusdam ad antecedentia ejusdem enuntiati verba εἰάν μὴ βούληται ἀδικεῖν respicientis inversum suspicari scribamus ὡς μὴ vel ὅπως μὴ, εἰάν μάθῃ αὐτὰ καὶ ἀσκήσῃ, ἀδικήσῃ, ita ut cum philosophus utrumque, et facultatem et artem, ad injuriam evitandam requiri vel necessarium esse exprimere voluerit, chiasmico verborum ordine observato μάθῃ ad τέχνην eodem jure atque ἀσκήσῃ ad δύναμιν pertineat.

513 b. c. ὅστις οὖν σε τοῖτοις ὁμοίωτατον ἀπεργάσεται, οὕτως σε ποιήσῃ, ὡς ἐπιθυμῆς πολιτικός εἶναι, πολιτικὸν καὶ ἠθροικόν· τῶ αὐτῶν γὰρ ἦθει λεγομένων τῶν λόγων ἕκαστοι χαίρουσι, τῶ δὲ ἄλλοτρίῳ ἀχθονται. Haec fere, ni fallor, subest sententia: Quicumque igitur te istorum similem reddiderit, idem efficiet, ut vir ad rem publicam administrandam idoneus et artis rhetoricae peritus existas; nempe omnes verbis vel orationibus ad indolem moresque suos accommodatis delectantur, diversis alienisque indignantur. Ac primum quidem non improbandum est, quod M. Schanzius vocem πολιτικός, ut plane superfluum, cancellis inclusit. Neque quemquam tam obtusae mentis fore putamus, quin λεγομένων mendo laborare concedat. Quod etsi olim ita e medio tolli posse, ut ὁμολογουμένῳ τῶ λόγῳ scriberem, suspicabar, tamen nec tantopere ductum literarum negligendum et leniorem in modum locum sanari posse ratus in ea, quam codd. exhibent lectione non nisi verba ἐπομένῳ τῶ λόγῳ delitescere tanto minus diffiteor, quo accuratius Platonicum genus dicendi perspexi et cognovi. Neque enim ἐπεσθαι modo ea quae h. l. desideratur significatione saepenumero a Platone usurpari, ex aliquot locis, quos obiter h. l. memorasse satishabemus, de Rep. X, 604 d. Legg. 680 a. 687 e, 690 b. Tim. 40 e, sed etiam e notione ἐπομένως (= convenienter) adverbii Tim. 27 c. et Legg. VIII, 844 e. usurpati efficitur.

513 e. ἢ δὲ γε ἑτέρα, ὅπως ὡς βέλτιστον ἐστὶ τοῦτο, εἴτε σῶμα τυχάνει ὃν εἴτε ψυχὴ, ὃ θεραπεύομεν: H. l. dubitationem subire nego, quin desit, unde sententia ad justum finem deducatur. Quod cum aliunde tum ex eo intelligitur, quod M. Schanzius in editione critica lacunam significavit. Praeterquam quod ex verbis praegressis substantivum παρασκευῆ ad verba ἢ δὲ γε ἑτέρα supplendum est, in exitu periodi verbum aliquod, a quo sententia finalis pendeat, excidisse verisimile est. Quodsi quis deliberaverit, quodnam verbum a genere dicendi non magis quam a literarum ductu abhorreat, vel primo obtutu nobiscum σκοπεῖ in utramque partem perquam idoneum esse consentiet, quo magis incolumis et incorrupta prodeat haec sententia: Altera vero (instructio sive via et ratio) id agit, ut quam optimum fiat, sive anima est sive corpus, id quod curamus.

518 a. ταῦτα οὖν ταῦτα ὅτι ἐστὶ καὶ περὶ ψυχὴν, τότε μὲν μοι δοκεῖς μανθάνειν ὅτι λέγω, καὶ ὁμολογεῖς ὡς εἰδὼς ὅτι ἐγὼ λέγω· ἦκεῖς δὲ ὀλίγον ὕστερον λέγων, ὅτι ἄνθρωποι καλοὶ καγαθοὶ γεγόνασιν πολῖται ἐν τῇ πόλει κ. τ. λ. Madvigius in Adv. crit. p. 412 haec ad locum annotavit: Pendet τότε, abundat ὅτι λέγω. Rectum est: τότε μὲν μοι δοκεῖς, ὅτε λέγω . . . ἦκεῖς δ' ὀλίγον ὕστερον. Tanto magis virum doctissimum in his verbis offendisse miror, quo minus verba ἦκεῖς δ' ὀλίγον

ἄστερον superioribus τότε μὲν respondere, id est vices formulae τότε δὲ vel ἄλλοτε δὲ sexcenties usurpatae sustinere ignoravit. Conjectura opus esse nemo, si accuratius rem perpenderit, arbitrabitur, neque quidquam impedit, ne verba tantopere fatigata sic vertamus: Idem in anima usu venire me existimare nonnunquam cognoscere videris nec dissentis mecum, tanquam quid dicam intelligas, verum paulo post contendis viros praeclaros quosdam et bonos in hac civitate quondam existitisse. Superest, ut demonstremus, quomodo verba ταῦτα οὖν ταῦτα ὅτι ἔστιν καὶ περὶ ψυχῆν cum tota argumentatione cohaereant nec cum aliquoties in dialogo sententia recurrat, in colendis animis fere eandem atque in corporibus curandis rationem valere, miremur, quod etiam h. l. Socrates genuinas ac dominatrices artes a servilibus et illiberalibus eodem jure secerni velit, quo antea gymnasticam et medicam, ut liberales artes ab inferioribus et ministris artibus, coquinariam ac fucatoriam dico, segregaverat.

525 d. οἶμαι δὲ καὶ τοὺς πολλοὺς εἶναι τοῦτων τῶν παραδειγμάτων ἐκ τυράννων καὶ βασιλέων καὶ δυνασιῶν καὶ τὰ τῶν πόλεων πραξάντων γεγονότας. Ne sublato quidem τοῦς ante τοῦτων posito Madvigius intelligere se ait, quid fiat masculinis τοῦς πολλοὺς τῶν παραδειγμάτων γεγονότας (pro τὰ πολλὰ γεγονότα) ideoque scribendum censet τοῦς πολλοὺς εἶναι τύπους τῶν παραδειγμάτων κ. τ. λ. Non diffiteor mehercule, virum doctissimum bene perspexisse, ubinam corruptela sedem collocaverit, sed quomodo sanandus sit locus, ne parum cognitum habeat, metuo. Etenim quid sibi velint τέτοις τῶν παραδειγμάτων vel effigies exemplorum, vix quisquam interpretatione aperiet. Multo igitur verisimilior est Schanzii conjectura, qui cum in τοῦς non minus quam in τῶν παραδειγμάτων, ut additamento aliunde ingesto, offendat, utroque ejecto rectam loco medelam obtingere opinatur. At quamvis sagacissimus codicum existimator ad veritatem proxime accesserit, tamen ne sic quidem sententiae Platonicae prorsus satisfieri existimo. Immo volutantibus nobis, quaenam notio ad conformandam sententiam idonea facillime excidere potuerit, non modo τοῦτων non minus quam τῶν παραδειγμάτων obliterandum, sed etiam ad syllabam αι, in quam infinitivus desinit ac subsequentem articuli formam non nisi duas literulas ν et α supplendas esse apparebit, quibus adjectis adjectivum ἀνίατους efficiatur. Certe sententia quae antea verbis lit. c. οἱ δ' ἂν τὰ ἔσχατα ἀδικήσωσι καὶ διὰ τοιαῦτα ἀδικήματα ἀνίατοι γίνονται, ἐκ τοῦτων τὰ παραδείγματα γίνονται expressa erat, hunc in modum repetitur, ut plerosque Socrates insanabiles esse censeat, qui e tyrannorum, regum, dominatorum, politicorum, ut ita dicam, conditione profecti sint, quippe qui licentia utantur atrocissima maximeque nefaria scelera committendi. Denique peropportune fit, ut quae continuo subjungitur status insanabilis causa (οἶμαι γὰρ διὰ τὴν ἐξουσίαν μέγιστα καὶ ἀνοσιώτατα ἁμαρτήματα ἁμαρτάνουσι) superioribus verbis οἱ δ' ἂν τὰ ἔσχατα ἀδικήσωσι optime respondeat.

ταῦτα ἁμαρτήματα ἀνοσιώτατα ἁμαρτάνουσι) superioribus verbis οἱ δ' ἂν τὰ ἔσχατα ἀδικήσωσι optime respondeat.

ταῦτα ἁμαρτήματα ἀνοσιώτατα ἁμαρτάνουσι) superioribus verbis οἱ δ' ἂν τὰ ἔσχατα ἀδικήσωσι optime respondeat.